

Idem Constitut. 115. incipien. *Romanae Curiae* § 20.

(133. Episcoporum Latinorum jurisdictio ordinaria in Græcos, et Albanenses in Diocesis suis commorantes asseritur. Idem Constitut. 57. incip. *Etsi Pastoralis* § 9. (134. Episcopi Græci Latinos ordinare nequeunt, sub pœna suspensionis. Idem *ibid.* § 7. (135. Episcoporum Græcorum-Melchitarum jurisdictio asseritur adversus attentata Prælatorum Maronitarum. Idem Const. 87. incip. *Demandatam*. § 12. (136. Episcopi Regnorum Madurensis, Mayslurensis, et Carnatensis jurare debent observantiam Constitutionum Apostolicarum. Idem Constitut. 107. incip. *Omnium sollicitudinum* § 17.

(137. Episcopus non potest in totum jus Episcopale dimittere, et propria auctoritate Ecclesiam aut Monasterium a sua jurisdictione ordinaria immunem efficere, sed opus est privilegio Apostolico. Idem tom. 2. Constitut. 40. incip. *Causarum Palatii Apostolici*.

(133. Episcopi Diocesanici consensus a Romanis Pontificibus exquiri consuevit ad concedendam Monasteriis plenam exemptionem ab eorum ordinaria jurisdictione. Idem *ibid.*

(139. Episcopi jurisdictionem habent in Civilibus in omnes Regulares. Idem tom. 2. Constitut. 7. incip. *Pontificia*. (140. Idem in Regulares extra Claustra degentes omnimodam jurisdictionem habent tamquam Sedis Apostolicæ delegati. Idem *ibid.* (141. Episcopi in Regulares animarum curam exercentes in Indiis tam Orientalibus, quam Occidentalibus, et in eorum Ecclesiis, in his, quæ ad hujusmodi curam pertinent, legitimam jurisdictionem habent ad formam Concilii Tridentini, et Constitutionum Apostolicarum. Idem Constitut. 1. incip. *Quamvis ad confirmandum*.

(142. Episcopi in his, quæ pertinent ad Missarum celebrationem, procedere possunt contra quoscumque etiam exemptos, tamquam delegati Sedis Apostolicæ. Idem Constitut. 17. incip. *Accepimus*. (143. Episcopus concedere nequit licentiam iterandi Sacrificium sine gravi necessitate. Idem Const. 3. inc. *Declarasti Nobis*.

(144. Ad Episcopum spectat licentiam concedere, ut Sanctissimum Sacramentum publice exponatur. Idem Constit. 5. incip. *Accepimus in Civitate*.

(145. Episcopus tenetur sequi iudicium Patroni Ecclesiastici in electione dignioris inter approbatos ab Examinatoribus, si nemo adversus Patroni iudicium reclamet. Idem Constitut. 4. incipien. *Redditæ Nobis*. (146. Contra vero, si inter approbatos ab Examinatoribus sit qui reclamet a præelectione Patroni. Idem *ibid.*

(147. Episcopus denegare nequit Clerico, atque etiam Canonico, et Parocho, licentiam ingrediendi Religionem. Idem Constitut. 25. incip. *Ex quo*. (148. Episcopus juxta Innocentii IV. sententiam revocare potest Sæcularem Clericum a claustris Religiosis, quando Ecclesia ex illius digressu gravius lædatur.

Idem *ib.* (149. Episcopus quomodo providere debeat animarum curæ, et quo ad Beneficia Choralia, dum Parochus, seu Canonici Religionem ingressus, nondum professionem emisit, assignatur ab eodem Pontifice, *ibid.* (150. nempe quod eo tempore, quo ad Beneficia curata, debeat idipsum agere, quod alias præstare consuevit, quum Parochus aliquo impedimento detinetur, ne animarum curam exercere valeat. Et quo ad Beneficia Choralia, relictis Tironi Religioso, qui Choro interesse nequit, ipsius Beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet, ut jura præscribunt, juxta opinionem in praxi receptam. tom. 5. verb. *Novitius* num. 24. ad 27. ubi sic expresse de his.

(151. Episcopus potest retinere penes se unum, vel duos Canonicos, qui pro residentibus habeantur, cap. *De cætero* 5, etc. Ad audientiam 15. de Clericis non residentibus. (152. Et istos Canonicos pro suo servitio potest assumere sive ex Cathedrali, sive ex Collegiata. Sic declaravit Sac. Congr. Concil. in Colon. 9 Septembr. 1628. et in Cajetana 1 Septemb. 1663. (153. Item potest assumere duos Beneficiatos, seu Mansionarios, sive ex Cathedrali, sive ex Collegiata suæ Diocesis, ita tamen ut ultra duos ex omnibus ipsis non adsumat. Sac. Congr. Conc. in Avenion. 7 Januar. 1640. (154. Non potest autem ipsos assumere, si habeant Curam animarum; (155. ead Sac. Congr. in una Montisflaconis 26 Aprilis 1639. vel sint Canonici Coadjutores; ead Sac. Congr. 15 Januar. 1684.

(156. Dicti autem Canonici, seu Beneficiati ab Episcopo ad suum servitium assumpti, si absint a Choro, lucrantur quidem fructus suarum præbendarum; sed non quotidianas distributiones. (157. Et si redditus omnis ipsis distributionibus constet, duas tantum ex illarum tribus partibus lucrantur. Sic expresse ead. S. C. in Sorana 22 Apr. 1679. (158. Uti idem dicendum venit de Canonicis comitantibus suum Episcopum in Visitatione Diocesis, quamvis si ipsum comitentur in Visitatione Sacrorum Liminum, vel ad ipsa visitanda deputentur, omnes distributiones lucrantur, ut pluries resolvit ead. Sac. Congr. et signanter in Brixien. 18 Septemb. 1626. in Sulmonen. 5 Decembris 1626. in Regien. 18 Decemb. 1627. et in Pennen. 1 Octobr. 1672. apud Card. Lambertin. volum. 5. in *Regulis circa servitium Chori*. Vide verb. *Distributiones quotidianæ* artic. 1. a num. 40.

(159. Episcopus duarum Ecclesiarum unatarum in die Cænæ Domini non potest in utraque Missam celebrare, sed debet uno anno dicta die celebrare in una, et ibi Chrisma conficere; et alio anno in alia idipsum facere, et ab una ad aliam Chrisma consecratum transmittere. Idem constitut. 3. incipient. *Declarasti*.

(160. Albanæ Episcopis facultas conceditur concordandi, transigendi, atque etiam relinquendi bona Ecclesiastica Albanis, licet injustis detentoribus, ad præcavenda deteriora incommoda; Benedict. XIV. tom. 4.

Constitut. 33. incip. *Cum Encyclicas*, in qua præfatis Albanis Episcopis traditur methodus, qua satagant, ut a Catholicis illius regionis sua Ecclesiis bona restituantur, vel aliquo modo super illis transigatur, et si neutrum queat obtineri, facultas sit Episcopis derelinquendi fundos, fructusque possessoribus, eosdemque absolvendi a censuris. Videatur hac de re in tom. 3. ejusdem Bullarii Constitutio 57. incip. *Urbem Antibarum*, in qua idem Pontifex multa tradit merito consulenda de bonis Ecclesiarum, quæ semel ab infidelibus occupata, deinde in Christianorum potestatem evenerunt.

(161. Veronensis Episcopi, ordinaria privata auctoritate in Civitatem, universamque Diocesim Veronensem redintegrata, definitur jurisdictione, qua idem Episcopus in Capitulum, subjectasque tum ipsi, tum Monasterio S. Mariæ in Organis Veronen. Parochiales, ac simplices Ecclesias, et in personas earum servitio addictas, utatur; Benedictus XIV. tom. 4. Constitut. 59. incip. *Regis pacifici*, in qua, narrata Aquileiensis Patriarchatus totali extinctione, et in ejus locum duorum Archiepiscopatum Utinensis nempe, ac Goritienensis, erectione cum suis respective Diocesis, et suffraganeis ipsis ab eo assignatis jam in Constitut. incip. *Injuncta Nobis*, multa per 45 paragraphos statuit, merito ibi videnda et observanda; In ipsa inter alias, § 14. confirmat privilegium jam ab ipso concessum Canonicis Cathedralis Veronensis in Constitut. incip. *Præclara decora*, libere utendi palmula seu Buggia, tam in solemnibus quam in privata Missarum celebratione in Cathedrali, et extra eam.

(162. Quoad facultatem Episcoporum suspendendi Clericos ab Ordinis exercitio ob occultum crimen in foro externo non probatum, confert hic addere quæ affert Bened. XIV. de *Synodo Diocesana*, lib. 12. cap. 8. a n. 3. ad 5. inclusive. Ibi ut sequitur. Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. de *Reform.* decrevit, « Ei, cui ascensus ad Sacros Ordines a suo Prælo, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis Ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus Ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, ut ad priores Ordines, gradus, et dignitates sive honores, restitutio suffragetur. » Ex quibus verbis colligitur, posse Episcopum ob occultum crimen, etiam extrajudicialiter cognitum, non solum Clericis prohibere ascensum ad superiores Ordines, sed etiam a suscepti jam ordinis ministerio eosdem interdicere. Quamvis enim in secunda Decreti parte, ubi de suspensione est sermo, non iterentur illa verba: « etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, » constans nihilominus, et perpetua Sac. Congreg. Conc. sententia fuit, ob continuationem sermonis censeri repetita, eaque utrumque casum complecti. Ab Episcopo si quidem Aleriensi interrogata, « An verba illa, ob occultum crimen, quo-

quodlibet, etiam extrajudicialiter, expressa dumtaxat in prima parte periodi, censeantur repetita in secunda parte, adeo ut inde colligi valeat, Prælatum nedum posse ob occultum crimen extrajudicialiter interdicere suo subdito ascensum ad Ordines, sed ibidem ob occultum crimen posse etiam extrajudicialiter illum suspendere ab Ordinibus jam susceptis? » Sacra Congreg. die 24 Novemb. 1657. « re sedulo examinata, censuit, non recedendum ab antiquis declarationibus super hoc eodem dubio pluries datis, ac proinde affirmative respondit, lib. 21. Decretor. pag. 134. » et cohærenter ad hanc responsionem eadem Sac. Congreg. die 16 Decembr. 1730. sustineri dixit, « suspensionem a Divinis ab Episcopo Capritano ex informata tantum conscientia duobus Sacerdotibus inflictam: » uti videre est in *Thesaur. Resolut.* tom. 5, pag. 18. Idemque responsum dedit in causa Orisana, seu Tarentina 20 Aug. 1735. ejusd. *Thesaur.* tom. 7, pag. 115.

(163. Adeo porro verum est, posse Episcopum virtute prædicti decreti, ex causa sibi nota, Clericum interdicere tam Sacrorum exercitio, quam ascensu ad altioris Ordinis gradum, ut neque teneatur « causam suspensionis, seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicæ si suspensus ad eam recursum haberet; » Quod totidem verbis a S. Congregatione responsum legitimus Episcopo Vercellen. die 21 Maii 1643. lib. 17. *Decret.* pag. 170. et sequent. Atque universim loquendo, Episcopum renuentem alicui Ordines conferre, nullo jure obstringi ad manifestandam causam, cur eum repellat, neque ei, qui repulsus est, ullam competere appellationem; sed tantum permitti adire Sedem Apostolicam, eique suas querelas exponere, eadem Sac. Congreg. diserte declaravit, cum ad Cardinalem Antonium Barberinum Archiepiscopum Rhemensem, Apostolica limina visitantem, atque hac ipsa de re Sacre Congreg. sententiam sciscitantem, die 20 Aprilis 1668. in hunc modum respondit: « Cum nullus ordinari debeat, quem Episcopus suæ Ecclesiæ utilem, aut necessarium non judicaverit, Congregatio non semel declaravit, ab hujusmodi iudicio nullam dari appellationem; sed recursum dumtaxat ad Sedem Apostolicam, quæ juxta ipsius Congregationis sententiam, per Gregorium XIII. felic. record. approbatam, quotiescumque Ordinarii Metropolitanano, aut viciniori Episcopo committit, ut ab eorum Ordinario prius requiratur causam recusationis, quo legitimam non allegante, licet illi eundem recusatum ordinare. Itaque si quis ex Diocesanis Episcoporum Eminentiæ vestræ provincialium Sedem Apostolicam adiverint, juxta prænaratam formulam, eorum querimoniis consulatur, cui formulæ, ut unum in præsens addatur, censuerunt expeditur EE. PP. videlicet, ut Metropolitanus, aut vicinior Episcopus; antequam commissas sibi partes exequi aggrediantur, paterne curent, ut illi denuo apud suos Episcopos per tres vices suppliciter petant. » Lib. 16

Literar. Visitationis Sacrorum Liminum, pag. 401.

(164. Ex hoc vero, quod suspensus ab Episcopo ob occultam causam, quam tamen Episcopus sibi notam asserit, appellare nequeat ad Superiorem, necessario consequitur, quod si nihilominus appellationem interponere, ejusdem obtentu in Altari ministrare, seu quovis modo suum Ordinem solemniter exercere præsumat, statim incidat in irregularitatem. Quidquid enim in contrarium senserint nonnulli Doctores, ita expresse definivit S. Congreg. Conc. in Sagonen. 21 Jan. 1625. lib. 24. *Positionum* pag. 1. ubi hæc adnotantur. « Episcopus Sagonenensis ex facultate sibi attributa Decreto Concilii cap. 1. sess. 14. ex causis sibi notis suspendit Parochum ab exercitio Curæ: sed ille appellavit, et Curam exercuit. Quæritur an a dicta suspensione detur appellatio, ita ut Parochus, non obstante appellatione interposita, per exercitium Curæ effectus fuerit irregularis? Sacra Congr. Conc. censuit ab hujusmodi suspensione non dari appellationem, et Parochum, qui Sacramenta, ut supra, ministravit, irregularitatem contraxisse. »

(165. Episcopi, quibus usque modo concessa est facultas impertiendi benedictionem cum Indul. plen. fidelibus in mortis articulo constitutis, ut ea possunt non tantum ad tempus, ut limitatur in Brevibus ab illis impetratis, sed quandiu in Diocesi, cujus intuitu illam obtinuerunt, permanserint. Habent etiam facultatem subdelegandi alios pios Sacerdotes, quotquot judicaverint opportunos, ut ipsis Episcopis impeditis eandem indulgentiam conferant. Subdelegari vero ea facultate ad se transmissa uti possunt pro tota Diocesi, vel territorio, cui destinati sunt, quoadusque in hoc munere perseverant, etiamsi Episcopus delegans obierit. Demum facultates istæ deinceps concedentur perpetuæ omnibus, et singulis Episcopis, qui literas ea de re petierint: quam etiam facultatem obtinebunt Prælati inferiores, territorium separatim habentes cum vera qualitate *Nullius*, et activa jurisdictione in Clerum, et Populum. Ita sancit Benedictus XIV. Constit. incip. *Pia Mater* edita ann. 1747. nonis Aprilis, in qua etiam ritum hujus benedictionis præbet.

(166. Episcopus in sua Synodo non potest quidem definire quæstiones de Fide, sed prohibere potest errores jam ab Ecclesia proscriptos, ut ex Gonzalez in cap. *Vestra* deditur; *De Synod. Dioces.* lib. 6. cap. 4. § 7.

(167. Episcopis in Synodo fas est non quidem rem aliquam inter Doctores controversam definire, sed praxim prohibere, uti v. g. non licet illis pronunciare, utrum jejunii essentia in abstinentia a carnibus tota consistat; sed etiam ante Bullam Benedicti XIV. jus illis fuit injungere, ut qui dispensationem ad carnes diebus jejunii vescendas obtinuerant, unicam comestionem servarent. *De Synod. Dioces.* lib. 7. cap. 3. § 1.

(168. Episcopo ex epicheia fas est aliquando in iis præsertim, quæ dilationem

non patiuntur, nec facile Summus Pontifex consuli potest, circa ejus commune relaxare, ut decisum a Sac. Congregat. Concilii refertur ibid. lib. 7. cap. 17. § 1. Id tamen non nisi in speciali rerum articulo, neque ea de re statutum universale concedere potest, ut ex communi DD. ibid. § 2.

(169. Ad Diocesanum Episcopum pertinet Ecclesias consecrare, eique fas est id muneri demandare alteri Episcopo, minime vero Presbytero, etiam cum oleis ab ipso Episcopo benedictis: Ita ex DD. ibid. lib. 13. c. 15. § 2. nov. edit.

(170. Consecratas insuper Ecclesias, atque pollutas nemo præter Episcopum Diocesanum reconciliare potest, nec fas est id muneri demandare Presbytero, quamquam cum aqua ab Episcopo benedicta. Si tamen Ecclesia non fuerit consecrata, sed tantum benedicta, facultas dari potest, ut per simplicem Sacerdotem, adhibita tantum aqua lustrali, Ecclesia polluta reconcilietur; ibid.

(171. Episcopo curandum est, ut legata pia impleantur, quod præstare ipse potest; etiamsi prohibitus fuisset a Testatore; ut ex cap. *Sua nobis, de Testament.*

(172. Quod si Testator executorem reliquerit sui legati, et ei in casu quod segniter agat, alterum substituat, tunc Episcopus, si subdelegatus etiam segniter egerit, curam ejus exequendi in se suscipere debet; quod valet etiam in omnibus piis dispositionibus, tam in ultima voluntate factis, quam inter vivos, ut ex Trident. sess. 22. *de Reform.* cap. 8; valet etiam non solum pro Episcopis, sed etiam pro Prælati inferioribus habentibus territorium separatim, et jurisdictionem quasi Episcopalem, *de Synod.* et c. lib. 13. cap. ult. § 1. et 2. nov. edit.: valet etiam pro Vicario Capitulari Sede vacante, ut in legato de Missis statuit Sacra Congregatio. *ibidem* § 2.

(173. Fabrica S. Petri in Vaticano in locis suæ auctoritati subjectis (non enim sunt omnia) non se immiscet jurisdictioni Episcoporum in ordine ad legata pia, et Missarum onera, nisi post annum ab obitu Testatoris, quo anno elapso piarum voluntatum executioni se immiscet, etiamsi iudicium ceptum ab Episcopo terminatum non fuerit, ut ex DD. constat, *ibidem* § 3.

NOVISSIMÆ ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Plura profecto hic habet Auctor. Sed, et dicta ab eo magis illustrari possent, tum alia possent addi. Sed ne limites egrediamur Additionum, hæc tantummodo afferimus.

(174. Episcopus sane post electionem ante possessionem de jure Canonico antiquo poterat ea omnia exercere quæ pertinent ad jurisdictionem, et signanter conferre Beneficia. (175. Idque quia in ipso momento factæ electionis consumebatur vacatio Ecclesiæ, ut sequendo originalem theoricam glossæ in cap. 13. verbo *de talibus, de Election.* firmant. Germon *de Indult. Cardin.* § *Nec non quarumcumque* n. 3. et duob. seq. *Matta de Caus. Consistorialib.* sect. 2. n. 37.

(176. Sed experientia compertum fuit, quod Episcopi hæc abutebantur potestate; Refert abusus hosce Rota in Corduben. Beneficiorum 3. Decembr. 1696. cor. bon. mem. Ursino. (177. Factum hinc fuit, ut Bonifacius VIII. in Extravagant. *Injunctæ de Election.* hæc ipsis ademerit potestatem, et ita quidem ut deinde Episcopi non nisi apprehensa possessione eam exercere potuerint, possintque etiamnum.

(178. Episcopus nequit Ecclesiam de non numerata reddere numeratam. Hæc enim immutatio non nisi S. Sedi competit, ut firmant Piton. *discept. Eccles.* 17. n. 45. Rota in Colonien. nominationum ad Canonissatus 1 Jul. 1729. § *Absque eo quod*, coram bon. mem. Ratto inter impressas dec. 264. num. 8.

(179. Episcopi Germaniæ anno 1630. a Sac. Congr. de Propaganda Fide potestate donati sunt disponendi in conservationem, tum augmentum Catholicæ Religionis Bona ab Hæreticis recuperata, vel recuperanda. Sed dispositio hæc sine Apostolico beneplacito perfici nequit.

180. Episcopus, cui potestas est mutandi Canonicos de una ad alteram Ecclesiam unitam, potest mutationem hæc facere absque ipsorum consensu, causæque expressione; Rota in Giennen. Juris mutandi 28 Jun. 1702. § *Et sane* cor. bo. mem. Pio.

ARTICULUS VII.

Episcopus quoad ea, quæ concernunt episcopum regularem, titularem, et suffraganeum.

(1. Episcopus Regularis a die suæ confirmationis, et assumptionis ad Episcopatum liberatur ab obligatione suæ Regulæ, scilicet a jejuniis, vigiliis, silentio, modo canendi in Choro, et reliquis observationibus præscriptis in Regula; Donatus *Prax. Regular.* tom. 1. part. 2. tract. 8. quæst. 51. num. 6. Portell. verb. *Episcopus* num. 13. Thomas del Bene *de Inquisit.* p. 2. dub. 236. sect. 67. Felix Potestas tom. 1. p. 2. num. 1865. Peyrin., Rodriq., Busemb. et alii passim, et habetur ex cap. *Statutum* 1. caus. 18. quæst. ibi: « Statutum est, et rationabiliter secundum Sanctos Patres a Synodo confirmatum, ut Monachus, quem electio canonica a jugo Regulæ Monasticæ professionis absolvit, et Sacra Ordinatio de Monacho Episcopum fecit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem, postea jure vindicandi potestatem habeat. »

(2. Non absolvitur tamen a Votis essentialibus, quia non desinit esse Religiosus, sed solum est exemptus quo ad aliquos effectus Paupertatis, et Obedientiæ juxta decentiam status. Licet enim non teneatur amplius ad obedientiam Prælati Regularis, tenetur tamen ad obedientiam Papæ, unde non dispensatur ejus Obedientia, sed mutatur, sicut nec dispensatur ejus Paupertas, quia non acquirit dominium honorum Ecclesiæ, sed administrationem, liberam tamen quoad suam sustentationem, et causas pias; Hinc S. Bonaventura in 4. sentent. dist. 38. § *Ad illud*

num. 47. sic præcise ait: « Est enim divitiarum non dominus, sed dispensator, etc. Similiter in voto Obedientiæ non est dispensatus, quia omnem obedientiam, quam debebat prius suo Superiori, debet Papæ. » (3. Episcopi Regulares illarum Religionum, quæ ultra tria Vota essentialia omnibus communia, emittunt aliud quartum Votum essentialia, ut est Votum vitæ Quadragesimalis apud Minimos, tenentur etiam ad illud, nisi specialiter a Sede Apostolica dispensentur; Unde Peyrin. tom. 3. privileg. cap. 14. n. 3. refert, quod tres Summi Pontifices, scilicet Paulus V. Gregorius XV. et Urbanus VIII. dispensaverunt in hoc Voto cum tribus Minimis ad Episcopatum assumptis; et signanter Urbanus VIII. in examine Patris Francisci Castellani pro Episcopatu Caprulensi, eum interrogavit: « An factus Episcopus teneretur ad Votum vitæ Quadragesimalis? » et cum respondisset: *Non teneri*, Papa ei dixit: *Errasti, teneris*, et parum defuit ut excluderetur; noluit tamen cum eo dispensare.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Regulares ad Episcopatum dignitatem evecti, nedum ad essentialia vota servanda tenentur, verum etiam ad reliqua vota in professione emissa, seu obligationes per propriam respectivam regulam inductas, puta ad jejunium aliquibus determinatis diebus, etc., modo horum observatio compossibilis sit cum statu Episcopali; Ita siquidem decrevisse constat Benedictus XIII. in Constitut. *Custodes* 7 Martii 1725. cujus hæc sunt verba: « Iisdem Regularibus tam ad Episcopatum quam ad Cardinalatum evectis præcipitur, in virtute S. Obedientiæ, sub pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium ipso facto incurrenda Papæ reservata, ut singulis suæ Regulæ officii, et obligationibus, quæ Pontificale, sive cujuscumque alterius dignitatis, aut Cardinalatus officium minime impediunt, perpetuo subsint. » Hinc etenim liquet prædictos Episcopos subesse omnibus illis obligationibus, quæ in regula, quam professi fuerant, exprimuntur, quæque non pugnant cum onere, et dignitate Episcopali. Idque respectu Franciscanorum præsertim tenendum est tamquam certum, cum eorum Regulæ præcepta obligent sub mortali, a quorum obligatione nisi specialiter a Sede Apostolica dispensationem obtinuerint, nulla causa est, cur censendi sint exempti dum ad Episcopatum promoventur.

RESPONSIO AUCTORIS.

At citatam hic a Rom. Theologo Constit. Bened. XIII. incip. *Custodes*, ego jam ad literam attuleram sub verb. *Habitus* n. 26, quam in ipsa sua Romana editione ibidem impressam non debuerat Adnotator ignorare.

(4. Episcopus Regularis tenetur Habitum suæ Religionis deferre; cap. *Clerici officia* 15. *de Vita et honest. Clericor.* ibi: « Pontifices autem in publico, et in Ecclesia superindumentis lineis omnes utantur, nisi Monachi